



# IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

PARS PRIMA.

## DISSERTATIO PRIMA

*De Atheorum Secta.*



TSI Atheorum errorem, eundemque cunctis deterrimum, in mundo fuisse, Scriptores commemorant; Sectam tamen ex iisdem conflaram, nullibi gentium conflaram apparuisse, scribunt. Et hoc, vel ex eo, quod clanculum student, & nullo conscio, insaniam in corde obvolvunt; vel quia hæresim animi potius, qua mentis esse, judicarent. Hinc quanvis plures, qui impium dogma in corde servabant, adnumerentur; ita tamen patria, origine, vivendi etiam genere, diffusi fuerunt, ut neutiquam pares condendæ sectæ judicarentur. Quisque ipsorum ut in pectore suo natum recepit errorem, in eodem quoque retinuit sepulchrum; ita ut ibidem cunas repererit, & tumulum. Nemo ex iisdem sectatores secum habuit, nullos post se reliquit; ut pene dici possit, si alii denuo nefario portento ortum non dedissent, cum uno eodemque Auctore natum, & mortuum quoque fuisse.

Attamen quia eadem cunctis fuit insaniendi  
PAR. I.

libido, idem insaniendi modus, atque eadem quoque omnino insania; etsi inter eos in eadem profrenda nullo modo communicarint, in eandem nihilominus non dispari nequitia convenisse, dicendi sunt. Eiusdem porro fuerunt hæresis sectatores, quanvis non fuerint unius Auctoris affectæ; ac proinde, etsi non sub uno, Sectam tamen ex pluribus illis constitutam nemo negabit. Satis enim erat, ut in eodem errore amplexando convenirent, ad hoc ut Sectam, ab errore illo denominatam, constituisse, dicerentur. Et quod eam ab uno non didicerint, nec unum se sequi profiterentur, hoc in causa est, quod a nemine inter illos omnes, denominentur.

Non adeo tamen abditus error fuit, ut non fuerint præfictæ frontis homines, qui eum manifesto profiteri non erubescerent. In istorum numero ponitur Diagoras Milesius, cognomento ἄθεος, dictus, quod nullos Deos esse putaret. Testes sunt Suidas in lexico, Cicero lib. 1. de natura Deorum, Plutarchus de placitis Philosophorum, Sextus Empiricus lib. 8. cont. Mathematicos.